

*De Fallacijs in ditione.*

653

tur in illis enunciationibus, quæ constant terminis denominativis. Sciendum igitur, quod terminus denominativus duo importet: (α) materiale, quod est res ipsa, habens formam denominantem, (β) formale, quod est ipsa forma, à qua aliquid denominatur. e. g. *calidum* est denominativum, & includit duo, materiale, quod est res, cui calor inest, v. g. aqua, & formale, quod est ipse calor. Unde etiam denominativum potest accipi vel materialiter, pro re, quæ formam habet, non tamen habitâ ratione formæ, ut cum frigidum sumitur, v. g. pro aqua: vel formaliter, quatenus formam habet, ut *calidum*, quatenus calidum est.

7. Cum ergò prædicatum tribuitur denominativo formaliter sumto, est sensus compositus, e. g. cum dico: *album est coloratum*, prædicatum nempe *coloratum* tribuitur subjecto nempe denominativo formaliter, quæ scilicet album est, & ratione formæ, nempe albedinis, spectatur, unde hæc propositio sumi dicitur in sensu composito: Contra verò si prædicatum tribuitur denominativo tantum materialiter considerato, est sensus divisus, e. g. cum dico, *calidum potest esse frigidum*, & *frigidum esse posse non tribuitur calido formaliter sumto, sic enim falsa est propositio, sed quatenus sumitur materialiter*